Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 409
Quelle:
Copyright:

Ambo ſcii rerum cantantes dicere uerum
Dicite cantantes que dicitis equiparantes.

Ita a *Sophia* animatus orditur *Thlepſis:*

Mente iubes dia que precipis alma Sophia &c.

et primo narrat *Adae* creationem, cui *Neocoſmus* formationem corporis *Chriſti* in utero Virginis c - ponit, et ita progrediuntur usque ad comparationem *Salomonis* et *Juſtiniani*, in qua *Codex* abrumpitur, quod dolendum, niſi fortaſſe in aliis Bibliothecis Exemplaria integra ſuperſint.

CXLVII.

810 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 72. 8. elegan-ter exaratus, rubricis ornatus; et quondam *Monaſterij ſancti floriani patav. dyoc.* quod eſt Collegium Canonicorum Reg. S. *Aug.* in ſuperiore *Auſtria Cantici Canticorum Paraphraſin* verſu hexametro continet, cujus nullibi mentionem fieri video. Inſcripta: *Verſus ſuper Cantica*, ita orditur.

Ardua preſumens imitari geſtio petrum
Lacius enodans ſalemonis cantica! quamuis
Terrear obſcura rerum caligine! uotis
Munera ſupplicibus tua poſtulo ſpiritus alme;
Aſpirare meis ceptis dignare! tuoque
Numine ſcribentis digitum rege dirige mentem.

Προοιμιον iſtud primis Verſuum literis Autoris nomen *Altman* prodit. Verum an hic *Altmannus Patav.* Epiſcopus a. 1091. defunctus? An *Altmannus*, *Alemannus* ſeu *Almannus Altivillarenſis* Monachus Sec. IX. de quo *Franciae Hiſt. lit.* T. V. p. 618. et *Fabricius* in *Bibl. med. Lat.* Atque in hunc vehementer inclinabam, cum ſcirem, teſte *Trithemio n.* 282. tam metro, quam proſa ſcripſiſſe. Aſt ubi expendiſſem illud: *imitari geſtio petrum*, neque alius ejus temporis occurreret *Petrus*, qui *Cantica* verſu tentaſſet, praeter *Petrum de Riga* in ſua *Aurora*, quam Sec. XII. elaboravit, jubente Chronologia *Altmannum* illum *Altivillarienſem* miſſum facere coactus ſum. Itaque novum hic *Altmannum* ſiſto ſacri Parnaſſi hoſpitemne, dicam, an incolam, melioribus certe aevi ſui Poetis adnumerandum. Quo magis triſte, folium unum, alterumve a fine *Codicis* excidiſſe. Subnectit ille porro Invocationi jam productae Argumentum Operis, quod ſic orditur: